

*ligna et lapides effusus sit. Propterea enim creatus est unus homo, ut doceretur, quod omnis homo, unam animam ex Israele perdens, in sacro codice aestimaretur, quasi uniuersum mundum destruxisset; omnisque contra ea, qui unam in Israele animam conseruat, haberetur in Scriptura quasi integrum terrarum orbem conseruasset: deinde propter creaturarum, uel hominum pacem, unus tantum creatus est homo, ne dicat aliquis proximo suo: pater meus parente tuo maior est; denique tandem, ne Minaei id est haeretici dicant, quod multae potentiae diuinae in coelo sint; porro ad Sancti illius Benedicti excellentias indicandas unus solummodo homo est creatus. Homo enim uno ex annulo multa signa exprimit, quae omnia sibi inuicem sunt similia: sed Rex Regum Serenissimorum, Sanctus ille Benedictus unumquemque hominum ad primi hominis imaginem formauit, neque tamen unus ex illis socio suo similis est. Hanc ob causam unicuique conuenit dicere propter me hoc uniuersum conditum est. Si uero fortassis dicatis, quid ad nos, ut nos tantis angustiis immisceamus? Numne uobis liquet, quod dictum est? *Leu. V, 1. et ille testis sit, aut uiderit, aut scierit, nisi indicauerit, etc. Fortassis dicetis: quid ad nos, ut rei simus sanguinis illius? annon uobis constat, quod dictum est Prou. II, 10. ob interitum improborum gaudium?**

Quae sane Iudicibus STEPHANI iniustissimis fuisse notissima et quotidiano usu trita, nemo est, qui dubitet. Sed ne uerbulum quidem huius rei extat in historia LVCAE; quare uero est simillimum, hoc ab illis ex animo male in STEPHANVM affecto studiose neglectum, praetermissumque fuisse. Nam sic agendo eo facilius innocentiam iustissimi uiri populum celare Senatus summus, illumque certo certius ad supplicium rapere poterat.